

Omnium ordinum academicos publico hoc programmate invitat / [Justus Vesti].

Contributors

Vesti, Justus, 1651-1715

Publication/Creation

Erfurt : Kindleb, [1696]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pyj9vr85>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

23.
24.

FACULTATIS
MEDICÆ
IN

ACADEMIA ERFURTENSI

p.t.

DECANUS,


JUSTUS
VESTI,

MEDICINÆ DOCTOR ET PA-
THOLOGIÆ PROFESSOR
PUBLICUS,

Omnium ordinum Academicos

Publico hoc PROGRAMMATE invitat.

Erfurti, Charactere Kindlebiano.



Rtem nostram Medi-
cam in via praxeos,
h. e. in cognitione
morborum, causa-
rumque morbifica-
rum admodum con-
jecturalem, imò non-
nunquam fallacem
esse, quotidiana lo-
quitur experientia; hinc est, quod, si diversi cir-
ca unum personandum ægrotum convocentur
Medici, in opinionibus sæpè valdè discrepent
atque dissentiant, ut hic illo, alter verò alio æ-
grum laborare morbo dijudicet. Uti vero dis-
sentientes sunt circa morborum cognitionem in-
terdum, ita etiam circa medicamentorum ap-
plicationem non semper convenient, licet quo
ad morbos eorundemque causas à se invicem
non dissentiant, sed quilibet ad suam provocat
experien-

experientiam, suaq; crepat specifica atq; arcana,
 maximamq; laudem mereri conatur: Et dum
 disceptatio foyetur inter medentes, de corio lu-
 ditur ægrotantis & occasio sanandi, (quæ tamen
 juxta Hippocr. Aphor. i. momentosa est) præter-
 labitur cum maximò decumbentis detimento.
 Hujus mali causam qui desiderat, is modò per-
 pendat diversas in Physiologia sententias & plu-
 rimirum Medicorum nefandam ~~opinacionem~~. Tan-
 tus enim hodiè est dissensus in fundamentis Medi-
 cis & tot fermè sunt principia medica, quot Me-
 dici docentes aut scribentes, ut etiam eruditi,
 quò se vertant, nesciant sæpiùs. Tanta etiam
 est hoc tempore inter carnales homines æmula-
 tio, tantaque superbia, ut quamplurimi Medi-
 corum, vanæ gloriolæ atque pecuniæ inhian-
 tes, nova non solùm excogitent principia, sed
 etiam medicamenta, quæ tamen intentioni rari-
 ìs respondent, quibusque proptereà carere potu-
 issent, parùm perpendentes, officium Medici o-
 pus esse charitatis. Deinde etiam ob varias alias
 rationes plurima incerta in nostra arte circa mor-
 borum curationes deprehenduntur: Quis enim
 nescit, Medicinam paucis certis & infallilibus,
 uno nomine pathognomonicis instructam esse
 signis?

signis? Hinc communibus ut plurimum debemus esse contenti & ob contraindicantia symptomata , malorumque syndromen in uno corpore concurrentium , res quandoque ita evadit obscura , ut nec Oedipus divinare specialiter possit morbum. Propterea in ejusmodi casu dubio indicationes curativæ firmæ formari nequeunt , sed talia secundum effatum nostri *Hippocr.* sunt applicanda medicamenta , quæ , si non juvent , ne saltem noceant. Quidam interdum morbi , licet sint quoad causas & subjecta diversissimi , ratione symptomatum non multum à se invicem differre videntur ; hinc lithias in pro colico dolore & viceversâ , item colicam pro hysterica passione &c. haberi & curari cernas ab iis , qui non exactissimam per longam experientiam sibi acquisiverunt signorum cognitionem. Si enim ulla pars Medicinæ est , quæ Medicum nobilitat , sanè semiologia est. Non pauci corporis humani affectus , illorumque causæ post mortem demum cognoscuntur & in cadaveribus dissectis atque apertis inveniuntur : Ad horum censum pertinet cordis polypus , vasorum & viscerum rupturæ ; de quibus in viventibus nulla occur-
runt

runt signa manifesta. Ex quibus si enis rupturam
 Inaugurali suâ Dissertatione examinabit Clarissi-
 mus atque Experientissimus noster Candidatus,
DN. MICHAEL VANSELOVV, Stolpæ-
 Pomeranus & Physicus Arnswaldensis,
 qui honestissimis natus est parentibus Stolpæ-
 Pomeranorum die 26. Decembr. A. O. R. M. DC.
 LXIII. Patre Nobiliſſ. atq; Doctiſſ. Dn. JOACHIM-
MO VANSELOVV, redditum Sereniss. Ducis
 de CROYA Praefecto, Matre verò GERDRU-
 THA Drenckhahn / qui optimi parentes dudum
 ex vita hac, & quidem Pater ante viginti tres,
 Mater verò ante duodecim annos, in æternam
 commigrarunt. In prima pueritia tam à paren-
 tibus, quam domesticis Praeceptoribus in pieta-
 te, bonis moribus, literarumque rudimentis fi-
 deliter est instructus. Postea in patriam scho-
 lam translatus, ex publicis Praeceptoribus præ ali-
 is laudat Viros Clarissimos atque Doctiſſ. Dn. M.
GEORGIUM VVEHLINGIUM, Rectorem fi-
 delissimum & Dn. NORDHAUSEN, Con-Re-
 Etorem, sub quibus tantos fecit in humaniori-
 bus & artibus liberalibus progressus, ut à modò
 laudatis Viris ad altiora dignus fuerit judicatus.

Quare

Quare Anno M. DC. LXXXII. Regiomontum
adiit , ubi primum Philosophico operam nava-
vit studio, lectionesque tam publicas, quam pri-
vatas Celeberrimorum Philosophiae Professorum
sedulò frequentavit. Deinde ad Medicam ani-
mum applicuit Artem , in eaque prima funda-
menta avidè hausit ex prælectionibus Excellen-
tiss. atque Experientiss. Dnn. Med. Doctorum - &
Professorum, LEPNERI, STARCKII & HART-
MANNI, in illa Academia tunc temporis viven-
tium: Sub manuductione etiam modò dicti Dn.
Doct. STARCKII aliquoties humanorum cada-
verum sectiones vidit , excursionibusque Bota-
nici sedulò simul interfuit. Año M. DC. LXXXV.
ex Regiomantana Academia ad Francofurten-
sem ad Oderam est profectus , ubi Excellentiss. at-
que Experientiss. Dnn. Med. Doctores & Profes-
sores publicè prælegentes quam diligentissimè
audivit, sectioni etiam ursi, à Dn. Doctore AL-
BINO administratæ , interfuit. Eodem Anno
Lipsiam se contulit, in qua Celeberrima Acade-
mia itidem per annum dimidium substitit & fa-
migeratissimos Medicinæ Professores, Dnn. Do-
ctores, BOHNIA, AMMANNIA &c. in pu-
blicis

blicis lectionibus maximâ attentione auscultavit.
 Anno subsequente VVittebergam venit, ubi Nobiliss. atque Excellentiss. Med. Doctores & Professores, SENNERTUM, THILONEM & VATERUM, tam publicè, quàm privatim sedulò audivit: Apud Dn. Doct. THILONEM Collegium Chymicum, Pathologicum & Practicum habuit, apud Dn. Doctorem VATERUM verò, Pastronum Ipsius maximoperè colendum, integrum Medicum cursum absolvit, dum per integrum fermè quadriennium fidelissimâ in omnibus Medicinæ partibus Illius informatione uteretur. Diversis etiam in hac Academia cadaverum humanorum dissectionibus adstitit. Demum in patriam redire cogitavit, iterque instituit; inter migradum verò dilectissimam accessit ac visitavit sororem, tunc anno subsequente Arnswaldiam est vocatus, ubi officium Medici ordinarii sive Physici Ipsius tam à Circulo, quàm civitate est oblatum, quo munere per septennium functus est & hucusque, prixin instituit per Dei gratiam benedictam atque felicem. Haud ita pridem ad perantiquam nostram accessit Academiam &, dato albo Academico nomine suo, nostram specia-

liter adiit Facultatem , modestè petens , ut in
 numerum Medicinæ Candidatorum recipere tur
 & ad consveta examina admitteretur , quod non
 solum obtinuit , sed etiam in iisdem optimè stetit
 & promptissimâ responsione ad propositas quæ-
 stiones talem se gessit , ut dignus fuerit judicatus ,
 cui summus in nostra arte gradus conferatur .
 Superest Inauguralis Dissertatio , quâ singularem
 quendam casum de LIENIS RUPTURA futuro
 die ♂ publico Eruditorum examini est expositu-
 rus . Cui actui solenni ut Magnificus Dn . PRO-
 RECTOR , reliquique Proceres ac cives Academi-
 ci honoratissimi , frequentes interesse velint , eâ
 quâ par est , humanitate rogantur & invitantur .
 P.P. sub Sigillo Facultatis , die 6. Septembr. Anno
 M. DC. XCVI.



L.S.